



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Chorea quibus casibus licita aut illicita sit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

## Chorearum pec. 49

plus pro referuato : vtpotè semel cognitum & iudicatum ante tribunal, cui erat referuatum.

### *Chorea quibus casibus licita aut illicita fit.*

**C**horearum peccatum cautè considerandum est: quoniam choreas ducere ex suo genere non est peccatum. Nam si ex suo genere esset peccatum, semper formaliter loquendo esset peccatum, quod constat esse falsum: nam in nuptiis & publicis lætitiis licitæ sunt choreæ.

Quia igitur choreis peccatum non inest per se, sed per accidens, non sunt damnandæ choreæ. sed accidentia mala quæ à malis abutentibus bono immiscentur. Et quoniam infinita possunt vni accidere, extra rationem scientificæ doctrinæ est de accidentibus docere.

Propter instructionem tamen pusillorum scito, quòd ex tempore (putà die festo) chorea nō fit mortalis: quia non est opus seruile, imò imprudenter arcentur à choreis rustici festis diebus chorizare assueti: qui nisi occuparentur choreis, vacarent otio & malis machinationibus perturbatiuis rei publicæ. Et simile est de similibus iudicium.

Ex frequentia quoque chorea non fit mortalis, vtpatet: sicut nec frequentia conuiuii facit illud mortale.

Ex periculo verò prouocationis ad libidinē, vnusquisque seipsum mensuret, & videat si exponit se periculo. Ego ex genere actus periculum nō cognosco: quoniam actus choreæ non est libidinis, sed lætitiæ. Et propterea si ex qualitate personæ periculum alicui imminet, prouideat sibi sicut debet cauere sibi ab aspectu mulieris, si ex aspectu sibi cognoscit imminere periculum. Ex actibus deinde leuitatis, qui quandoque ibi immiscentur (dum aliquis intorquet digitos mulieris cum qua choream duxit) non plus quàm veniale peccatum.

peccatum incurritur. Et simile est iudicium de multis vanæ lætitiæ actibus & verbis, si contingit choreis immisceri. Ex praua autem intentione (puta ad incestum aut adulterium prouocandi) & similiter ex impudicitis, non solum choreas: sed eleemosynas & ecclesiastica officia constat esse peccata mortalia. Conclude ergo choreas non esse ex se malas: licet sæpe afferant peccata venialia vanitatis.

*Clerici in multis differre debent à laicis,  
quibus deficientibus peccatur.*

Clericorum peccata specialia ex transgressione iuris positivi, tot sunt, vt vix numerari queant. Tenentur siquidem quod ad habitum deferre rasuram, hoc est clericam: & tonsuram, hoc est non nutrire comam, & non nutrire barbam: & deferre habitum clericalem clausum desuper, non nimia breuitate aut longitudine notabilem, absque pallio diffibulato: abstinere à viridis & rubri coloris vestibus & caligis. Caligæ quoque scaccatæ, & vestis virgata seu partita, manicæ satulariæque consutitiæ, epithogium, insula lineæ, fibulæ, corrigiæ aureæ vel argenteæ, annulli, nisi quibus ex dignitate conuenit, frena, sellæ, pectoralia calcariæque aurata eis inhihentur.

Quò ad artes, Artes macellariorum seu carnificum, tabernariorum, ioculatorum, seu histriorum, goliardorum & bufonum, & chirurgicorum, ab eis tolluntur.

Quò ad officia, Officia secularia, & specialiter iudicis in causa sanguinis, præpositi balistariis, præpositi officialis seu ministri sub domino temporali, tabellionis seu notarii, & aduocati seu procuratoris in placitis secularibus, nisi in quibusdam casibus.

Quò ad actiones, Arma portare, ad tabernam ire nisi in itinere, auer, canesq; sequi ad venandum, accipitres,